

dens, cepit cum omni affectu perquirere, ubinam esset ille mons, super quo ecclesia sancti Nycolai esset exstructa. Indigenis vero loci illius ignorantibus, idem perscrutari cupiens, Geysmariam¹⁾ accessit. Intelligens autem idem archiepiscopus per Conradum militem monoculum, ecclesie Moguntine ministerialem, ubinam esset basilica, veniensque archiepiscopus ad pedem montis Ulrideshusen, et cum ascendere vellet pompose cum equitibus et militibus incedens, sensit se invisibiliter sed efficaciter repelli, ipse vero stupens et admirans, quidnam esset, quod tam vehementer se prohiberet, non diu meditans, sed ad statum melioris sensus revertens, considerare cepit, quod sanctus Nycolaus festivitatem ipsius fastidians adeo pompose venientem repellebat. Unde contigit, quod, cum se humiliaret, vidit quendam antecedentem, vibrato gladio viam, que usque in hodiernum diem ducit ad monasterium circa precipitium montis, ostendentem.

Post hec autem cum monasterium magna sollempnitate dedicasset, et reliquias sancti Nycolai in capsula recondisset, instituit ibi virgines sub regula sancti Augustini Deo perpetue servituras. Hanc autem institutionem cum iuramento communitam inmutabilem reddidisset, omnia ad honorem Dei omnipotentis cum maxima devocione complevit. Stabat itaque basilica per cursum novem annorum nocte dieque omnibus peregrinantibus patefacta, ita quod nullo unquam momento turbaretur.

Contigit autem non longo tempore post ecclesie consecrationem, quod, lupo puerum etate quatuor annorum rapiente, mater flens et ululans beatum Nycolaum invocabat dicens: *Sancte Nycolae, pro tuis meritis, que plurima in conspectu divine majestatis assistunt et in*

1) Das Dorf Geismar bei Göttingen. Der Name Konrad kommt in der Familie derer von Geismar öfter vor; so erscheint 1139—1155 ein Conradus de Geismare unter den Ministerialen der Mainzer Kirche. Pfeffinger, Br.-Lün. Historie I, 591. Leuckfeld, Antiqq. Walkenr. I, 254. Origg. Guelph. IV, 545. Wenzl, Hessische Landesgesch. II, S. 748. Rettner, Antiqq. Quedlinb. p. 184.